

gasset, mentionem imperatoris Antonini 1, 102 tamquam vivi habitam non poterat in divi commemorationem non mutare. Similiter iudicabis de secundo commentario ratione tertii, in quo § 100 ipse rationem placiti reddit, quod 2, 232 non pretiosa ratione receptum esse dixerat. Etiam de usucapione pro herede suo et necessario vel necessario herede extante, controversa sane materia, diversa tradit 2, 58 et 3, 201, ut postea rationem traditi in eo male posuisse videatur, quod necessario extante nihil contra voluntatem testatoris ex hereditate detrahi debeat, idemque fere cadit in cognatam controversiam de in iure cessione hereditatis collatis 2, 37 et 3, 87. Deinde etiam quasdam materias, velut in iure cessionem hereditatis et bonorum possessionem, quae sine re datur (illam 2, 35—37 et 3, 85—87¹, hanc 2, 151^a et 3, 35—37), bis et tantum non iisdem verbis sine dubio non explicuisset, sed rem, ut alias facere solet, remittendo lectorem expediisset, nisi cum postea aptius hanc materiam in comm. III tradi intellexisset, iam manibus elapsus esset comm. II, ut corrigere eum non posset. Denique 3, 56 rem 1, 22 expositam tam late, imo latius repetit, quam non poterat ita scribens, ut lector a primo commentario recens, vel qui eundem certe manibus teneret, ante oculos ei versaretur.

Tot vero tantisque libri virtutibus etiam successus respondit. Per hunc Gaius quasi perpetuum initiandorum Themidos sacerdotum munus adeptus est et, dum stetit imperium Romanum, retinuit. Multi maximi nominis Icti

1) Sane nuper Polenaarius ed. suae p. 233 has §§ ut spurias eiecit, maxime 2, 98 argumento usus. Sed ut cessicia tutela non tantum sub speciem legitimae tutelae cadit, sed etiam ut propria tutelae species, quae cessione defertur, considerari potest, ita etiam de in iure cessione hereditatis diversimode potest iudicari. Ille ipse vero secundi libri locus etiam evidentius arguit id, quod de ratione inter eum et tertium librum intercedente supra statuimus. Quamquam Gaius nimis molestos post 2, 98 mutati consilii obtrectatores eo etiam refutare poterat, quod cessione quoque 'heredes alicui fiamus'.